

Petrus de Vinea

*Ep. V 134 (Inter rerum molimina,
quae ad honorem nostrum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 134 (Inter rerum molimina,
quae ad honorem nostrum...)*

luglio 1240

Mittit nuntium, pro habenda et percipienda subuentione a fidelibus suis.

1. Inter rerum molimina, quae ad honorem nostrum et perpetuam nostrorum fidelium pacem laudabilibus inchoata principiis auctore Domino fine iam conclusimus concupito, deuotionem fidelium Regni nostri, quam semper corpore rebus et animo nobis adfuisse gaudeamus et in magnis quibuslibet, quae potentia nostra peregit, specialem esse ac precipuam gloriatur, tanto nunc fiducialius prouidimus requirendam, quanto negotiorum moles exposcit, et fideles nostros ex laudabili eorum, quae imminet, complemento gratos nobis aliisque reddere disponimus gloriosos. 2. Cum igitur ab omnibus officialibus nostris ipsarum partium, tam preteritis quam presentibus, subuentionem requiri mandemus ad presens; cum non sit incongruum, ut, qui per nos et in nostris seruitiis sunt promoti, subueniendo nobis bonorum suorum largitione actorem nos sentiant et cognoscant, confisi de fidelitate et prudentia R. de ..., fidelis nostri, eum ad partes ipsas ad haec specialiter duximus destinandum. 3. Cui commisimus et firmiter dedimus in mandatis, ut secundum tenorem scripti taxationis factae in curia nostra, quod sibi sub sigillo nostrae maiestatis fecimus assignari, a singulis instanter requirat et exigat. 4. Ab aliis etiam, qui iam dudum officium curiae nostrae exercuerunt, pro tempore, nisi scripti inueniantur in predicto scripto taxationis, cum consilio et prouisione aliorum fidelium nostrorum, quos ad hoc duxerit requirendos, taxationem faciat debitam et statim, sicut facta fuerit, requirat instanter et exigat ab eisdem. 5. Compellendo predictos omnes ad solutionem taxationis

sibi impositae per omnia bona sua et etiam per personas, prout melius uiderit expedire. 6. Qua imposita, pecunia citius habeatur, nulli super hoc deferendo personae, nec alicuius faciem reuerendo. 7. Quocirca fidelitati tuae sub obtentu gratiae nostrae firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus eidem fideli nostro R. tam super instanti solutione taxationis, quae facta est de nobis, respondere parere et intendere debeatis, quam super prestando sibi consilio auxilio et fauore ad requisitionem et ordinationem ipsius super agendis aliis assistere debeatis, ut seruitium ipsum sibi commissum celeri possit executioni mandari, et uos de studio commendare possimus.